

1.*Basel, 1434 März 5**Kanzleiordnung des Basler Konzils.*

Druck: *Concilium Basiliense. Studien und Quellen zur Geschichte des Concils von Basel, Bd. 3: Protokolle des Concils 1434 und 1435, hg. von Johannes Haller, Basel 1900*, S. 40.

Item etiam placuit, quod idem dominus vicecancellarius iuxta deliberata trium deputationum concordantium, quarta non contradicente, ter in ebdomada habeat convocare deputatos sacri concilii ad examinandum bullas expediendas in cancellaria, et teneatur huiusmodi cancellaria, ut in Romana curia est fieri consuetum.

2.*Basel, 1435 September 23**Kanzleiregeln des Basler Konzils.*

Druck: *Concilium Basiliense. Studien und Quellen zur Geschichte des Concils von Basel, Bd. 3: Protokolle des Concils 1434 und 1435, hg. von Johannes Haller, Basel 1900*, S. 523-528.

Postmodum ego Thomas Chesneloti notarius huius sacri concilii legi regulas sive ordinationes scriptorum litterarum sacri concilii et magistri et scriptorum registri ea-rundem litterarum.

Primo quod fiat pitaphium per ordinem alphabeti cum numero ordinato omnium et singulorum scriptorum, quibus tradatur iuramentum ante omnia legaliter exercendi officium secundum modum infrascriptum et formam usitatam in cancellaria.

Item quod pro nunc admittantur scriptores nominati usque ad numerum XLIV.

Item quod predicti et nulli alii scribant litteras sacri concilii et cum honoribus et oneri-bus declarandis.

Item quandocunque contigerit aliquem sive aliquos mori naturaliter sive civiliter, nul-lus substituatur loco illius vel illorum, donec et quoisque numerus predictus sit reduc-tus ad numerum XXV.

Item similiter, si recedat vel recedant aliqui sine speciali licentia taxatoris et cum prefixione termini, infra quem teneantur redire, et hoc cum beneplacito domini vicecancelarii, absens mortuus civiliter censeatur, si non redeat in termino sibi prefixo.

Item quod nullus ipsorum scriptorum scribat nisi per se ipsum et non per alium quovismodo, alioquin sit privatus suo officio ipso facto, et ille penes quem erit pro tempore pitaphium, teneatur illum delere et cassare de pitaphio deleatque et casset immediate auctoritate presentis ordinationis.

Item deputetur unus, qui sit distributor et taxator simul more Romane curie, et pro isto primo mense electus est et deputatus reverendissimus dominus archiepiscopus Mediolanensis.

Item eligatur unus computator de mense in mensem, qui unacum taxatore seu rescribentario de oneribus et emolumentis omnibus faciat rationem etiam quolibet mense.

Item distribuatur equaliter de omnibus emolumentis et oneribus, et quolibet mense calculetur et videatur ratio, supplendo et reducendo ad equalitatem.

Item nullus audeat facere minutam, nisi supplicatio per prius fuerit signata et sibi distributa per dominum vicecancelarium; et hoc intelligatur de hiis dumtaxat, que debent expediri per supplicationes.

Item nullus audeat scribere litteras, nisi fuerint sibi per distributorem, ut prefertur, distribute, sub pena privationis officii ipso facto.

Item nisi littere sic distribute sint taxate et manu taxatoris et computatoris more Romane curie signate, etiam si decreta fuerint vel alie littere de iustitia vel gratia, nullus audeat eas expedire sub pena privationis officii.

Item si littere reperiantur sine taxatione, computatoris nomine et aliis signis cancellarie ac taxatoris bullate et expedite, ut predictum^a est, littere ipse sint nulle et scindantur atque confiantur de novo secundum presentem ordinationem.

Item si aliqua littera culpa vel defectu scriptoris sit rescribenda, scriptor ipse eam rescribere teneatur infra biduum vel triduum ad tardius suis propriis expensis, sub pena suspensionis officii.

Item supplicationes, que sunt magne importantie, ad iudicium domini vicecancellarii legantur publice et in parco ad hoc per aliquem deputatum, et similiter littere desuper facte, ut videatur bene concordantia et discordantia earundem.

Item quod omnes littere expediantur per cancellariam cum signis et signetis consuetis, et inde tradantur cum numero uni custodum clavum plumbi vel bullatori iurato sub signeto et manu domini vicecancellarii. In dictoque plumbo omnes annotabuntur more solito unacum taxis earundem, alias sint nulle.

Item ipsis sic annotatis computatis et plumbatis remittentur omnes cum numero et sub signeto unius custodum ad registrum bullarum per distributorem eiusdem registri, si fuerit presens in plombo, alioquin per bullatorem predictum. Non tamen per hoc registrabuntur nisi registrande, exceptis litteris de simplici iustitia, que annotabuntur. Ille tamen de minori registrabuntur. Simplices vero missive^b et tales sint signate manu legati, prout hactenus de mandato concilii fieri consuevit.

Item in eodem registro partes recipient litteras suas de manu registratoris vel alterius de ipso registro.

Item de correctore abbreviatoribus et ceteris officiariis cancellarie ordinabit idem dominus vicecancellarius cum sua cancellaria, ita quod numerus abbreviatorum sit certus, et quod inter ipsos per eundem dominum vicecancellarium distribuantur supplicationes pro minutis faciendis, taxabiturque quantum debebunt habere pro qualibet minuta.

Item quod nulla littera in forma „Exhibita“, que gratiam simplicem aut mixtam iustitie continet, de cetero expediatur nisi per cancellariam et quod ipsius supplicatio per prius sit registrata; alias sint nulle.

Item quod habeatur in cancellaria unus quaternus curie bene ad verum correctus, in quo sint conscripta decreta concilii expediri consueta necnon forma „Caroline“ et „De Corpore Christi“ etc.

Item deputentur singulis mensibus quatuor ex scriptoribus sufficientes et bene intelligentes, qui decreta seu alia expedienda huiusmodi cum dicto quaterno diligenter auscultent et se suscribant, saltem duo ex ipsis, primitus tamen ab eis recepto iuramento, quod officium huiusmodi fideliter exercebunt etc.

Item avisentur in cancellaria de litteris expediendis, ut abbreviatores non plus dent in minuta, quam det signatura.

Item similiter quod scriptores non plus scribant in grossa, quam contineatur in minuta et, si qui delinquentes circa hec reperti fuerint, per cancellariam publice et cum dedecore puniantur pro prima vice et pro secunda vice vel tertia priventur. Et nichilominus si tales littere aliquando in plumbo apparerent exorbitare, non plumbentur, sed remittantur ad cancellariam.

Item iuxta stilum curie Romane quilibet abbreviator scribat nomen suum in capite minute.

Item quod quintus denarius de unoquoque scriptore retineatur pro cantoribus et cappella concilii per taxatorem, qui singulis mensibus teneatur reddere rationem computatori iurato.

Item quod nullus abbreviator scriptor sive registrator audeat quidquam ultra taxam exigere; quod si contrarium repertum fuerit, delinquens pro prima vice restituat duplum et suspendatur per dominum vicecancellarium per tres menses, et pro secunda vice privetur officio.

Item si aliquis falsarius aut baratator probabiliter aut concubinarius vel lusor aut tabernarius vel tabernator fuerit publicus et istud per duos aut plures testes probari possit, intelligatur talis privatus ipso facto, declaratione prehabita per dominum vice-

cancellarium, nec post admittantur eius littere in cancellaria vel a taxatore seu quo-cunque alio.

Item quia multum vilescent littere passus sacri concilii propter earum formam et le-vem concessionem, nullus deinceps audeat eas expedire, nisi fuerint per sacras de-putationes aut reverendissimos dominos legatum vel vicecancellarium concesse et manu alterius ipsorum signate.

Item quod in talibus litteris passuum non ponatur pena excommunicationis, nisi pro incorporatis dumtaxat.

Item scriptores abreviatores et registratores per civitatem cum vestibus honestis ge-stuque modesto incedant; quod si contrarium repertum fuerit, puniantur graviter per dominum vicecancellarium et taxatorem per suspensionem ad tempus aut alias plus vel minus iuxta excessus exigentiam, etiam per privationem in cancellaria faciendam, si fuerit opus.

Item litteras de curia eisdem distributas expedire teneantur sine contradictione; quod si contradixerint aut alias plus debito distulerint, puniantur per dominum ipsum taxato-rem.

Sequitur ordo servandus in registro bullarum.

Primo in ipso registro erit unus magister totius registri ad minus, qui habebit auscul-tare bene et diligenter bullas cum codicillis registri, ita quod non sit plus in uno quam in alio, et deinde easdem bullas a tergo manu propria signare.

Item erit unus distributor, qui habebit scriptoribus bullas distribuere ad registrandum et habebit unacum aliis scribere, quando poterit, facere rubricas sive repertoria codi-cillorum et taxas bullarum in uno quaterno annotare.

Item erunt quatuor alii scriptores, qui sunt de presenti per dominum vicecancellarium recepti et iurati.

Item teneantur iidem de registro omnes et singuli vivere honeste, et si contrarium repertum fuerit, prout in regulis scriptorum continetur, secundum exigentiam delicti puniantur per dominum vicecancellarium vel deputandum ab eodem.

Item registrabunt bene et fideliter omnes bullas registrandas, alias vero non registrandas omnes annotabunt sufficienter.

Item de Carolinis decretis et de Corpore Christi, „Exhibita“, „Sua nobus conquestus“, „Ea que de bonis“ et similibus aliis pro annotatione recipient quartam partem taxe bulle.

Pro aliis vero omnibus ad plenum registrandis recipient medietatem taxe bulle.

Item pro quolibet sumpto recipient tertiam partem taxe bulle.

Item pro qualibet copia recipient quartam partem taxe bulle.

Item iidem de registro omnes divident inter se equaliter emolumenta omnia et singula ipsius registri, ita quod quilibet ipsorum habeat equalem portionem, nisi aliquis ipsorum non continuaverit aut debitum suum prout ceteri non fecerit in registro; et tunc illi iuxta arbitrium registratoris et distributoris detur portio eorundem emolumentorum, prout etiam meruerit.

Item pro capella et cantoribus concilii reddent singulis mensibus rationem de quinto denario sicut scriptores.

Item omnes pene contra scriptores inflicte intelligantur etiam inflicte contra registratores, qui in eisdem delinquerent. Et hec sunt nomina illorum de registro videlicet: Episcopus Tiburtinus magister registri, Petrus Raederen distributor Henricus de Erfordia, Lubertus Rosmit, Jacobus Huglin, Petrus Guilloti scriptores.

Quibus lectis dominus legatus in et super eisdem conclusit.

3.

Druck: *Concilium Basiliense. Studien und Quellen zur Geschichte des Concils von Basel, Bd. 3: Protokolle des Concils 1434 und 1435, hg. von Johannes Haller, Basel 1900*, S. 619.

De officio registratorum rubrica.

Accedit preterea circa registrum litterarum nostrarum et registratorum earum, ut sequitur rationabilitatem, providere, videlicet, quod ipsi regestratores pro huiusmodi litteris registrandis ultra taxationes, que fuerint in eisdem litteris designate, non recipient, etiam si gratis offeretur eisdem. Qui vero secus egerint, duplum eius, quod receperint, restituere teneantur, servato tamen moderamine infrascripto in litteris et pro eis inferius denotatis, scilicet quod pro registrandis litteris provisionum prelatorum, quando contingit plures fieri litteras pro eisdem, dicti registratorum pro littera principali provisionis ultra taxationem in ea expressam non recipient. De aliis vero litteris ad provisionem ipsam facientibus, que non regestrantur ex integro, prefati registratorum medietatis taxationis expresse in eisdem litteris aliis dumtaxat sint receptione contenti.

Quod cum pro eodem ordine vel pro eadem persona plures eiusdem tenoris et date littere conceduntur, licet iudices vel executores seu conservatores, quibus in ipsis litteris scribitur, sint diversi, pro una recipiatur ab eisdem registratoribus dumtaxat taxatio in eadem expressa, sed pro qualibet aliarum huiusmodi registratorum ipsi ultra sex grossos non recipient turonenses.

Quod pro registrandis litteris, que intuitu Dei ob paupertatem impetrantium vel ex aliis causis gratis distribute gratisque scripte fuerunt, nichil registratorum recipient prelibati, etiam si gratis eis oblatum existeret.

Quod iidem registratorum pro litterarum copiis, que sumuntur ab eis de registro, ultra tertiam partem taxationis litterarum ipsarum nequaquam recipient. Si autem earum taxatio numerum triginta Turonensium grossorum excederet, non recipient ultra quartam partem taxationis huiusmodi prefatum numerum excedentis, etiam si in hiis vel aliis premissis casibus facientibus de dictis registratoribus mentionem gratis offeretur eisdem.

Si vero contrarium egerint, duplum eius, quod receperint, restituere teneantur.

^a In einem Kodex des Staatsarchivs zu Solothurn fand sich eine Handschrift, die aus dem Besitz des damaligen Registerschreibers und späteren Konzilsnotars Jacob Huglin stammt und von ihm geschrieben ist. Darin folgte hinter predictum est ursprünglich und wurde getilgt sit privatus scriptor officio ipso facto et, ut talis declaretur per vicecancellarium, nec ulterius in pithaphio annumeretur cum ceteris, sed de ipso deleatur per illum, penes quem erit pitalphium.

^b In einem Kodex des Staatsarchivs zu Solothurn fand sich eine Handschrift, die aus dem Besitz des damaligen Registerschreibers und späteren Konzilsnotars Jacob Huglin stammt und von ihm geschrieben ist. Darin hieß es statt exceptis – missive ursprünglich sed bene notabuntur omnes, exceptis litteris, que dicuntur de curia, ut salviconductus et littere promotoriales et simplices missive. Dies wurde gestrichen und der Satz, wie ihn P und B haben, an die Stelle gesetzt, doch heißt es statt de minori unleserlich de mia oder de iuia, vielleicht zu lesen de iusticia.